et intellectus interne lucis iam est pars
diei. sed qui usque ad finem uite in uirtute profi
ciunt. tunc ad perfectum diem ueniunt. quando
ad regna celestia perducti. in ea luce quam
desiderant. iam minus aliquid non habebunt.
Via autem impiorum tenebrosa. nesciunt ubi
corruant. quia qui odit fratrem suum in tenebris
est. et tenebre excecauerunt oculos eius. sed qui diligit
in lumine manet. et currens non habebit of
fendiculum. Omni custodia serua cor tu
um. quoniam ex ipso uita procedit. Omni
diligentia serua mundiciam cordis. quia
ad eius examen modus estimabitur uite. Sunt
enim qui recte uiuere uidentur hominibus. sed
quia recta intentione non faciunt. adeo quod
cor inspicit prauum. et uita que uidebatur bona reprobatur.
Omni custodia hunc ut conspice.
et quamdiu uiuis. contra spiritales inimicos
materie positum intellige. ne hinc ho
stibus fores obstruas. et aliunde aditum pan
das. ne per aliquam rimulam hostis ingre
diatur. qui undique exclusus esse uidebatur.
Oculi tui recta uideant. et pal. t. p. g. t.
Qui negligit considerando preuidere quod
facit. gressus tendit. oculos claudit. pergen
do iter conficit. sed preuidendo sibimet
ipsi non antecedit. et ideo citius corruit. quia quo
pede ponere debeat non attendit. Oculi
tui. frater. iusticie quo ingredi debeas diligen
ter edisce. et in cunctis que agis dispo
sitionis palpebre. id est iudicium oculorum recta
uidentium. et sedula cognitio precedant gressus
tuos. ut preuideas ad quem finem sint
uentura. Non declines ad dexteram neque a
sinistris. auerte pedem tuum a malo. neque
huc neque illuc a recto deuies. quia uirtu
tes discretionem querunt. et omnis nimietas
in uitio est. Dextera est uia bona. sinistra
reproba. nusquam ad dexteram ultra tendere. sed ad sinistram de
clinare prohibemur. Declinat ad dexteram.
qui sibi uult arrogare quod iusti est. uel de
uiribus suis presumit. qui uult plus sape
re quam oportet. declinat ad sinistram. qui
iniustus est. qui per flagitia sua se pos
se saluari desperat.

Liber sancte marie de berge. Amb

NB.

Proiecit moyses uirgam et serpens factus est
qui deuorauit serpentes egyptiorum. significans
quod uerbum caro fieret. que serpentis dira ue
nena uacuaret per remissionem et indulgen
tiam peccatorum. Virga enim est uerbum
directum. regale. plenum potestatis. in
signe imperii. Virga serpens facta est.
quoniam qui erat filius dei ex deo patre natus.
filius hominis factus est. natus ex uirgine
qui quasi serpens exaltatus in cruce. medici
nam uulneribus infudit humanis. Vnde
ipse dominus ait. Sicut moyses exaltauit ser
pentem in deserto. ita exaltari oportet
filium hominis. Denique et altum signum ad
dominum ihesum pertinet quod fecit moyses. Misit ma
num suam in sinum et protulit eam. et facta est
manus eius sicut nix. Iterum misit et protulit eam.
et erat sicut carnis humane species. significans
domini ihesu primum fulgorem diuinitatis. postea
susceptionem carnis. in qua fide credere omnes
gentes ipsosque oportet. Merito manum mi
sit. quia dextera dei christus est. in cuius diuini
tate et in carnatione si quis non crediderit. quasi reprobus
flagellatur. sicut rex pharao. qui quoniam signis
non credidit euidentibus. postea flagella
tus orabat ut ueniam mereretur. V R